



D. Virginis Oetinganæ Historia

Irsing, Jakob

Monachii, 1643

C. VII. Ciuitatum, aliorūmq[ue] cōtuum ad D Oetinganam peregrinationes,
cum donis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64940](#)

crificium , liberali stipendio , instituit, quo grata memoria inclytæ domus Mansfeldicæ , ad veritatem Catholicam reuocatæ, repetatur.

CAPVR VII.

*Ciuitatum, aliorumque cætuum ad
D. Oetinganam peregrinatio-
nes, cum donis.*

Inter ciuitates prima supplicanti-
um agmen adduxit Monachium.,
Boicæ caput : & iam dudum
morem recepit , quarto quoque an-
no eundem cultum repetendi. An-
no seculi huius decimo septimo ,
quo chilias hominum inde Oetin-
gam descendit , donum aræ Marianæ
bina paria candelabrorum argenteo-
rum intulit , magnitudine , & operis
nobilitate visenda. Sex alia ex ma-
teriâ simili , ciuitatis eiusdem sunt
munus , voti liberati monumentum ,
ob urbem ab excidio , quod bello
Suecico non ex inani timebatur ,

I 5 vindic-

Statut.
Cong. Ost.

vindicatam. Domi etiam (quod hū meminisse iuuat) perpetuo cultu Oetinganam Virginem colit Monachum. Est ibi Sodalitium celebre, Otinganum à loco dictum. Id originē accepit à pietate Wilhelmi V. Bauariæ Ducis: cuius postulatu Gregorius XIII. Rom. Pontif. ratum esse ius-
fit; & aliorū, quæ subinde sub eō no-
mine ac titulo coalescerent, sodali-
tiorum caput fecit, vnde ius omne
auctoritásque manaret: Præpositi
Collegii Canonicorum ad D. Virgi-
nis (cuius Basilicæ Sodalitium con-
tributum est) tutelam mandauit. In-
tium A. C. M D LXXXI. v. Non. Ma-
tias, dicto in templo, ritu magnifico
est celebratum.

Landishuta anno millesimo se-
centesimo decimo tertio supplican-
tium ritu adire Oetingam cœpit. Co-
ronam tunc dono tulit insigni ma-
gnitudine, pyropis collucentem. E-
fulget in his sappirus, plūs quadri-
gentis

gentis aureis æstimatus. Anno deinde seculi huius decimo septimo frequentes, ordinibus eleganter instrutis, redière Landishurani: quo principium duxerunt, mysteria Rosarii, argenteis expressa tabulis, Oetinganæ Virgini repræsentandi: quorum singula, supplicationibus adferunt singulis, donec annorum lapsu numerus impleatur. Anno M DC xv. Salisburgenses, septingenti numero, sub signis Sodalitii sacratissimo Christi corpori auctorati, eo paratu & splendore, qui omnium oculos animosq; teneret, peregrinationem obierunt: & quod primum habetur, plerique Pœnitentiæ sacro lustrati, & Eucharistiâ sunt refecti. Redière deinde, piū agmen ducentes, anno M DC xxii. & xxvi. Auxit eorum liberalitas sacrū vestitum insigni Casiolâ, ærarium pecuniâ. Burghusiani binas in anno; Mildorffiani vnam obeunt, cum signis, & ordinibus supplicationem.

Budo-

Budouicenses , inauspicato bello,
quod Ferdinando II. Imp. in Bohe-
miâ fecerunt A. C. DC XIX. heret-
odoxi; in fide permanerunt, omnia
que obsidionum, quib⁹ arctè preme-
bantur, incommoda pertulerunt, vi-
bibus aliis , præter Pilisnam , siue vo-
luntate, siue coactu ad hostem desci-
scentibus. Quam ob rem A. C. MD-
XXI. quinque dierum itinere, suppli-
cantium Oetingam cœtū duxerunt,
gratiq; libertatis ac fidei suæ vindi-
cem Deiparam coluerunt.

Vrbium aliarum, oppidorum, pa-
gorum , quibus solenne Oetingam
sub signis confluere , meminisse sin-
gillatim longum foret. Sufficit mo-
nere, maximâ hominum frequentia,
siue gregatim Curionum ductu, siue
separatim proficiscentium , locum
celebrari. certè iam olim centum se-
ptuaginta duo Parœci quot annis
subiectorum populorum greges ad-
ducebant.

OETIN.